



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Horologium Ad V. C. Aegidium Menagium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

## H O R O L O G I U M

A D V. C.

ÆGIDIUM MENAGIUM.

**M**ORTALISNE etiam felix audacia dextræ  
 Æternas simulare domos, & legibus æquis  
 Sidera constantem cœlo modulantia cursum  
 Aggreditur, Divûmque operi certare laborat?  
 Ecce brevis moles totum comprehendit Olympum:  
 Æmula naturæ moles, qua prædita tellus  
 Nil jam solis eget: neque lunæ consulit ignes,  
 Ipsa suum sibi tempus habens. Namque alite curru  
 Quot terram circum volitans sol conficit orbis,  
 Tot gyro brevior imitatrix machina ducit;  
 Metiturque viæ spatium, & discrimina signat  
 Ortusque, occasusque; aut mundi vertice summo  
 Cum stetit, & radiis fugientes contrahit umbras.  
 Nec cessare licet, suaque in vestigia ductos  
 Flectere jam retro gressus; quin improba voce  
 Segnitiam incuset crebrâ, tardosque jugales:  
 Seu cœlo dicat leges, atque imperet astris.  
 Sed quis multiplices speret describere motus,  
 Aut tam magna sequi miracula posse canendo?  
 Ecce rudis plumbi, contorta è cannabe, massa  
 Cardine subjecto pendet: vis insita deorsum  
 Quam trahit, & sensim nativo prægravis urget  
 Impete. Eam contra leviori corpore pondus  
 Funis ad extremum nodo religatur: at illud  
 Æthereas tantum se fert subline sub auras;  
 Massa suo quantum descendit plumbea nutu,  
 Hinc series motus, & inenarrabilis ordo



Ducitur : hinc totos apte diffusa per artus  
Vis agitat molem , & certo cum foedere torquet.  
Trochlea nam spiris circum labentibus acta ,  
Tardior ipsa licet , vicinum concitat orbem :  
Atque hic alterius conferto dente vicissim  
Urget agens gressus , secumque impellit eundo.  
Ergo ambo rapidus curvo ferat agmine vertex ;  
Alterno ni libra moras versatilis unco  
Injiciat , pressisque fugam moderetur habenis :  
Ipsa autem justo tempus discrimine pensat  
Interea ; secumque putat , quos lubrica fines  
Accipiant momenta , quadranti quis modus arcto ,  
Quantum labentes spatium determinet horas.  
Cumque pererrato jam limite signa ruendi  
Certa dedit , frænoque rotas cohibente minores  
Admonuit pulso : versis fragor axibus ingens  
Exoritur. Velut æstivam cum Juppiter olim  
Increpuit nubem : vel cum victricibus undis  
Oppositas rupere sonantia flumina moles.  
Effugiunt orbis , indignatique teneri  
Præcipitant , qua quemque suus vocat impetus , & qua  
Vis plumbi gravior jubet inclinare sequentes.  
Nec mora , turrita respondet ahenus ab arce  
Excubitor : ferroque sonum pulsante per auras  
Ingeminat toties , tabula quot in indice tangit  
Virga notas ; numerumque horarum cantibus æquat.

Haætenus informes orsus , & nobilis artis  
Pingue rudimentum. Nam posthac doctior ætas  
Expoliit , cultuque novos adjecit honores.  
Nunc picturato labentia sidera mundo  
Artificem justis deducere motibus annum  
Suspicias , Phœbique imitantem lumina flammam



Obliquum per iter bissex percurrere signa;  
 Errantemque globum lunæ, parvosque planetas,  
 Alternis dociles modulari lustra choreis.  
 Nunc fictas acies mirabere, sævaque in armis  
 Agmina præbere infantis spectacula belli.  
 Stat campo tacitus miles, viresque videtur  
 Colligere ipse suas; donec vi concitus axis  
 Signa dedit. Fremuere tubæ, & cava tympana pulsu  
 Horrifico: stringunt enses, & tela corruscant  
 Misti equites peditesque; idem omnibus incidit ardor:  
 Alternosque ferunt ictus, & mutua densant  
 Vulnèra: mox facta concordés pace quiescunt.  
 Sæpe etiam heu! tristis suspensus imagine pompæ  
 Integros memini spectando ducere soles.  
 Saturnus, similis leges & jura ferenti,  
 Fronte oculisque minax folio confederat alto.  
 Sub pedibus rigidæ fatalia pensa sorores  
 Carpebant. Mors ipsa aderat, cui falce gravatur  
 Dexterâ terribili, librataque pendet in ictum:  
 Exque viris, fallax quos lætat vita futuri  
 Immemores, nunc hos oculis, nunc destinat illos.  
 Supremæ interea miseris Deus arbiter horæ  
 Metiri momenta, & inevitabile punctum  
 Ære videbatur pulsato indicere. At illa  
 Protinus in medios qua copia facta ruebat,  
 Monstratumque caput telo excutiebat acuto.  
 Vosne hostes somni dicam, quis cura quietem  
 Rumpere tinnitu, & lucis revocare labores?  
 An vos, quæ dominis coelata in pyxide clausæ  
 Gemmantes horas, pretiosaque tempora in auro  
 Volvitis affixæ lateri noctuque diuque  
 Excubiæ vigiles? Nec tu incelebratus abibis



Carminibus nostris, memori dignissime fama  
 Annule: quem digitis Cæsar regalibus aptum  
 Scilicet, ingenioque parem gestare solebat  
 Carolus. Ille brevi pala, mirabile visu,  
 Currentesque rotas, implexosque orbibus orbes,  
 Ponderaque, & justo suspensam examine libram,  
 Indice cumque suo vocalia ceperat æra.  
 I nunc, i tennes nunc admirare quadrigas  
 Græcia, quamque suis navem musca obtegit alis:  
 Archytæ jacta ludos, fictamque volucrum  
 Cœrula mendaci tranantem nubila penna;  
 Quæque Syracosii solers industria fabri,  
 Naturæque manus victrix miracula finxit.  
 Plus quiddam est cœlum potuisse includere gemma.

Carolus V. Imperator.

Nunc ego te ô præses, degendæque arbitra vitæ  
 Machina; sub rigido si te spirare metallo  
 Non frustra perhibent, sed habet vis dædala mentem;  
 Unum oro, & dulci vates pro carmine posco;  
 Parce meo feralem horam properare Menalcæ.  
 Sed potius relegens tua per vestigia cursum,  
 Fata redordiri, primæque reducere florem,  
 Quantum fata Deusque sinent, molire juventæ.  
 Ceu quondam magna populi spectante caterva,  
 Per denos sublapsa gradus retro umbra cucurrit;  
 Ezechixque suos ævum revocavit in ortus.

Sinæ machinam viventem appellant.

## HELIO T R O P I U M.

**I**L L U S T R E S animæ, quas pulchræ gloria fortis  
 Induit in florem, & pictis decus addidit hortis  
 Sidera camporum, terræque parentis amores,  
 Cedite: formosumque omnes agnoscite pronis